



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. VI. Incipit tractari de rebus, in quibus peccati mortalis gravitas cognoscitur; & in primis declaratur eius gravitas, quia est contra Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

tissima veritatis est, neminem lædi, nisi à seipso. Et quamuis omnes terræ, marisque habitatores conspirent, *nisi qui se ipse læserit, ab ijs non potest lædi.* Hæc sanctus Chrysoströmus. Fundaturque in eo, quod dicit Spiritus Sanctus, per Sanctum Petrum Apostolū: *Non est, qui vobis noceat, si boni amatores, virtutumque veri amatores fueritis.*

a 1. Petr. 3.

Incipit tractari de rebus, in quibus peccati mortalis gravitas cognoscitur: & in primis declaratur eius gravitas, quia est contra Deum.

C A P. VI.

Divina Scripturæ, rationisque naturalis lumen nos docet, tantò maiorem iniuriam aliquam, & offensam esse, quantò persona, quæ iniuriâ afficitur, & offenditur, præstantior, honoreque dignior est. Vnde ad cognoscendam, sentiendamq; peccati mor-

mor-

mortalis grauitatem, necesse est prius
 declarare amplitudinem, ac maiesta-
 tem Dei, ipsius potentiam, ipsius bo-
 nitatem, ipsius sapientiam, ceterasque
 perfectiones diuinas, vt ijs considera-
 tis, & ponderatis, sentiatur, ac iudi-
 cetur, quàm graue malum sit pecca-
 tum mortale, per quod talis Deus ac
 Dominus iniuriâ afficitur, & offendi-
 tur. Habet Deus esse infinitum, puris-
 simum, & simplicissimū. Omnes crea-
 turæ esse limitatum, & compositione
 aliquam habent: vt homo, qui est com-
 positus ex animâ & corpore, & Ange-
 lus ex esse, essentiâ, & potentiâ: Sed
 esse Dei nullum habet limitem, quia
 infinitum est, nec in eo vlla est com-
 positio; quicquid in illo est, Deus est,
 & est actus purus, ipsumque esse per
 essentiam. Hoc significauit idem Do-
 minus, Moyfi dicens: *a Ego sum, qui
 sum: Sic dices filijs Israel: qui est, misit me
 ad vos. Quasi diceret: Ego sum ipsum
 esse per essentiam, & per naturam: a*

a Exod. 3. 14.

in ipso habeo esse cum infinitâ plenitudine, ac perfectione: & sum origo, & fons infinitus, vnde procedit, ac derivatur omne esse, omnique perfectio. Ad hoc significandû dicit eadem Scriptura de Deo, ipsum solum etiam Sanctum, iustum, fortem, potentem, bonum, immortalem, atque beatum: quem admodû fatetur Anna Mater Samuelis, in cantico suo dicens: *a Non est sanctus, ut est Dominus, & non est fortis, sicut Deus noster.* Et Nehemias in oratione suâ cum Deo loquens, ait: *b Domine Deus, qui solus es bonus rex, solus prestans, solus iustus, & omnipotens, & æternus.* Et Christus in Euangelio, quando dixit: *c Unus est bonus, Deus.* Et S. Paulus ad Timotheum scribens, de Deo dicit: ipse *beatus est, & solus potens, & solus habet immortalitatem.* *d* Quibus sacra Scriptura vult significare, tametsi creaturæ quædam sunt sanctæ, iustæ, bonæ, fortes, potentes, immor-

a 1. Reg. 2. 2. *b* 2. Mach. 1. 24. *c* Matth. 19. 17. *d* 1. Tim. 6. 15.

mortales, atque beatæ, vt Angeli, & animæ Sanctæ, quæ hæc à Deo dona acceperunt, deq; his ipsius perfectionibus participârunt; solum tamen Deus illum esse, qui per essentiam, & per naturam, & à seipso, & cum infinitâ perfectione est sanctus, bonus, fortis, potens, immortalis, & beatus. Deus est omnipotens, quia habet potentiam infinitam, & posset facere res omnes, quæ habent esse, omnes, quas vult potestque eas facere ex nihilo, & cum omni magnitudine, ac perfectione quâ ipse vult. Hoc significauit Angelus, Virgini dicens: *a Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Et Christus in Euangelio dixit: *b Apud Deum omnia possible sunt.* Idque Dauid canit, dicens: *c Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in celo, & terrâ, & in mari.* Hac infinitâ potentiâ creauit in principio temporis, totum hoc vniuersum, impleuitque cælum Angelis crea-

a Luc. 1. 37. b Matth. 19. 26.

c Psal. 134. 6.

De gravitate peccati mortalis. 61

creaturis spiritualibus, & elementa
corporalibus creaturis. Ita testatur in
suâ oratione Mardocheus, Deum al-
loquens: *a* *In ditione tuâ, Domine, cun-*
ctâ sunt posita, & non est, qui possit tua re-
sistere voluntati: tu fecisti celum, & ter-
ram, & quicquid celi ambitu continetur.
Et quemadmodum Deus totum hunc
mundum in momento fecit, quoad e-
ius substantiam, sic potest in alio mo-
mento suâ potentiâ, ac voluntate a-
lios innumerabiles mundos creare; &
quamvis plurimos crearet, semper
tamen plures creare posset, adeo-
que posset infinitos mundos creare,
omnes tam magnos; tam bonos, ac pul-
chros, quàm iste est: nam creare ex ni-
hilo quamcumque rem, quantumvis
magnam, atque perfectam, nihilo ipsi
constat, quàm voluntate, & imperio. *b*
Deus est imensus; mensurâ non habet,
neque limitem, quia infinitæ magni-
tudinis, ac maiestatis, adeoque in omnî
loco est; neq; est partim in vno loco, &
pat-

a *Esth. 13. 2,* *b* *Psal. 148. 5,*

partim in alio, sed totus integer, & cū
 totā suā magnitudine vbique est. Hoc
 per Ieremiam significat dicens: *a* Si
occultabitur vir in absconditis, & ego non
videbo eum: nunquid non cœlum, & ter-
ram ego impleo? quasi dicat: præsens
 in omni loco sum. Et sicuti totus est
 in hoc mundo, & in quolibet eius lo-
 co, sic si crearet infinitos alios mun-
 dos, in omnibus illis, & in quolibet
 eorum loco tam præsens, & cum tota
 suā magnitudine esset, quā in isto
 est. Deus est infinitè sapiens, quia ha-
 bet infinitam sapientiam, quæ est ipsa
 eius diuina essentia, quā videt cum in-
 finitā perfectione, & claritate omnes
 res, quæ fuerunt vsq; à principio mun-
 di, & erunt in æternum, easque omnes
 videt vno intuitu, & in vno momen-
 to; nec solūm eas vidit, ex quo ipsa
 fecit, sed antequam creatæ essent, in
 æternitate. Neque tantūm cum huius
 perfectione res omnes, quæ sunt, &
 erunt, videt, sed etiam illas omnes
 quas

De gravitate peccati mortalis. 63

quas potest facere, quæ sunt sine taxâ,
& sine numero. Hoc prædicat David
dicens: *a Magna virtus eius. & sapien-*
tia eius non est numerus; id est, infinita
est, omnia videt, & omnia compre-
hendit. Deus est infinite bonus, infini-
tè pulcher, ipsaq; bonitas, & pulchri-
tudo infinita. Omnes res bonæ, pul-
chræ, & amabiles creaturarum, ab ipso
exierunt, & omnes, quæ sunt, quæque
cogitari possunt, per eminentiam, &
cum infinitâ perfectione in ipso unitæ
sunt, quia ipsius bonitas, ac pulchritu-
do est ipsa diuina eius natura. Deus
est infinite misericors, & infinite ius-
tus; sed magis exercet misericordiam,
quàm iustitiam punitivam; quia nul-
lo præcedente merito ex parte homi-
nis, multa, & maxima bona ei facit, &
ab innumeris eum malis liberat; & si
cum auxilio gratiæ ipsius homo meri-
ta acquirat, remuneratur illa maiore,
quàm merentur, præmio, neque eorum
vllum sine suâ remuneratione relin-
quit.

a Psal, 146, 5.

quit. Et iustitiam punitiuam non exercet, nisi præcedente culpâ, quæ poenam mereatur: & pœna, quam irrogat, minor est, quàm culpa meretur; & multæ culpæ, quæ poenam merentur ab ipso per pœnitentiam condonantur. Verùm licet priùs, multò que plùs misericordiam exerceat, tamen cum infinitâ perfectione iustitiam quoque exercet. Et sic quando satisfecit misericordiæ, vocando, expectandòque peccatorem, & hic se non correxit, neque fructum ex misericordiâ cepit, & satisfacit denique iustitiæ, peccatorem temporali, & æternâ, quam meretur poenâ afficiendo. Hoc David in quodam Psalmo canit, dicens: *a Potentissima Dei est ad malos præsertim puniendos: & iuxta potentiam, iustitiæ que tibi, Domine, infinita misericordia est ad bona conferenda, liberandùm que à malis; & reddes unicuique secundum opus suum, & præmium iuxta opera sua.* Hoc idem Scriptura diuina de omnibus

a Psal. 61. 13.

bus reliquis Dei perfectionibus prædicat; nam omnes sunt infinitæ, & omnes sunt ipse Deus infinitè perfectus. Estque tanta hæc Dei perfectio in omni re, vt etiamsi in vno vnirentur omnes intellectus sanctorum, beatorumque hominum, & omnium Angelorum, cogitarentque ex hoc nunc vsque ad finem mundi, & in æternum Dei perfectionem, nunquam tamen eam caperent, neque tantum illius cognoscerent, quin cogerentur dicere, summamque cum veritate fateri, Deum infinites perfectiorem esse, quam cogitassent: nam perfectio eius infinita est, neque illam vnquam ita penetrabunt, quin infinitum superfuturum sit penetrandum, sentiendumque. Hoc significauit Ecclesiasticus, dicens: *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, & omnibus, quæ de cælo ad illum glorificandum habetis, auxilijs, parum est, quod facitis, quia dignitas, ac magnificentia infinitè maior eius, &*

D 2

60,

a Eccles. 43. 32.

eo, quod concipitis; & ipse dignus est
 infinites maiore gloriâ, quàm ei tri-
 buatis. *Benedicentes, laudantésq; Do-*
minum, exaltate illum, quantum potestis;
maior enim est omni laude; excedit infi-
 nitè, quicquid in eius laudem cogita-
 re, & dicere possumus. Hic tantus, tam
 potens, tam immensus, tam sapiens,
 tam bonus, tam iustus, tam in omni
 perfectione infinitus, tamque infinita
 gloriâ, & infinitâ laude dignus Domi-
 nus ille est, quem homo per peccatum
 mortale iniuriâ afficit, offendit, inho-
 norat, contemnit, & ad iram prouo-
 cat. Audi, quemadmodum id Domi-
 nus ipse dicat, de hominibus peccato-
 ribus per Isaiam conquerens: *a* *Au-*
dite cali, & auribus percipe terra, quoniam
Dominus locutus est. Filios enutruit, &
donis, misericordijsque exaltauit: ipsi
autem contra me peccando spreuerunt
me. Et per Ezechielem, *patres vestri*
inquit, spreuerunt me peccatis suis con-
temnentes. *b* Et S. Paulus loquens de

a Is. 1. 2. *b* Ezech. 20. 27.

peccatoribus, qui iustitiæ, & castitatis
præcepta transgrediuntur, ait: *a* Qui
hac præcepta spernit, contra ea peccans,
non hominem spernit, sed ipsum, cuius
sunt præcepta, *Deum*. Et quòd homo
per peccatum mortale irasci faciat
hunc omnipotentem Deum, & hunc
iustissimum Iudicem, eiusque iram ac
furorem in se concitet, testatur Baruch
Propheta dicens: *b* *Propter quod in irâ*
ad iracundiam provocâstis Deum, tradit
estis aduersarijs vestris: exacerbâstis enim
eum, qui fecit vos, Deum aeternum. At-
que hoc peccator non tantum semel
in vitâ suâ facit, sed quotiescunque
peccatum aliquod mortale commit-
tit; adeoque sæpè in die peccando, fa-
ctis, & desiderijs, iram Deo de nouo
mouet, eumque contra se irritat; quem-
admodum aduertit, ac ponderat San-
ctus Gregorius, dicens: *c* *Omnis, qui*
peccat, Conditoris sui in se iracundiam ir-
ritat. Et scimus, quia quoties actu, quoties

D 3 ver-

a 1. Thess. 4. 8. *b* Bar. 4. 6. *c* D. Gre-
gor. l. 1. hom. 9. in Ezech.

verbo, quoties cogitatione delinquimus, *Deum* contra nos toties irritamus. Hoc est, quod homo per peccatum mortale facit, inhonorare, offendere, spernere, & ad iram prouocare Deum. Atque hinc fit, vt peccatum mortale (quemadmodū Sancti dicunt) infinitatem quandam habeat, sitque malum suo modo infinitum, & infinitæ grauitatis, ac malitiæ, quia est contra Deum bonum infinitum, & infinitæ magnitudinis, atque bonitatis. Vt enim diximus, tantò culpa grauior est, quanto maior est persona offensa; & cum persona peccato mortali offensa sit persona Patris, persona Filij, & persona Spiritūs Sancti, vnus infinitus Deus consequens est, vt peccatum, ex hoc capite infinitam habeat grauitatem. In hunc modum homo Fidelis peccati mortalis grauitatem considerare, ponderareque, & hac tam graui, ac potente ratione ad illius odium, ipsūque plangendum, & fugiendum mouere debet;

a D. Th. 3. sent. d. 1. q. 1. a. 5. ad 5.

De gravitate peccati mortalis. 69

debet; prout monet S. Augustinus, dicens: *a Non præcipuè considerandum est peccatori quod fecerit, ut mali, quod admisit, magnitudinè sentiat, sed quem offenderit: quàm bonus est, quàm benignus, quàm pius, qui illum suâ dulcedine, & pietate creavit ex nihilo, qui eum absque merito perduxit ad baptismum, & educauit, & nutriuit, ut filium: ad cuius commodum creavit calum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, cui seruiunt omnia, tanquam filio, cui misit Angelum in auxilium, propter quem fortem, & callidum debellauit hostem eius antiquum, propter quem homo factus tam multiplicia pati sustinuit, ut mereretur filium; cum quo dignatur habere consortium. Talem Patrem offendere, contra eius voluntatem aliquid committere, animaduertentibus, ac se nõ ignorantibus quàm est crudele! Vnde qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, ut totâ vitâ suâ non tantùm grauiâ, sed etiam parua peccata plorando doleant. Hactenus S. Augustinus. At-*

D 4 que

a D. Aug. de verâ, & falsâ c. 8, penit.

que hoc est, quod nos præcipuè ad sentiendam peccati mortalis grauitatem mouere debet.

Afferuntur verba, quibus ipse Deus in sacrâ Scripturâ ostendit, quantoperâ sentiat iniuriam, quæ ei per peccatum mortale fit.

C A P. VIII.

SI melius intelligere velimus peccati grauitatem ex hoc capite, quod fit contra Deum, oportet nos scire verba digna consideratione, quibus Spiritus Sanctus in sacris litteris huius iniuriæ, & offensæ, quæ Deo per peccatum mortale fit, grauitatem explicat. In primâ mundi ætate cum multiplicati essent homines, & malitia creuisset, dicit diuina Scripturâ: *Uidens Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum, quod hominem fecisset: & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creauì, à facie terra, ab homine usq; ad*

Genes. 6, 5.